

264

262

268

258

273

253

313

213

363

163

Ende

Anfang

multi eramus, et locus strictus et super tabulam longam erat
extensus pannus desuper ad longitudinem tabulae, ad faciendam
umbram contra solis aestum: et pictura panni fuit missio
Spiritus sancti. Discubuimus ergo omnes, demptis quibusdam
nobilibus militibus, qui (B) ex humilitate se ad serviendum
mensis exhibuerant. Cunctis autem sedentibus, et cum dis-
ciplina convescentibus, accessit quidam vir vestitu pauper,
quem prius in agmine peregrinorum non videram, et in medio
discubentium stans, ita ornata locutione et decora eloquentia
oravit lingua latina, quod omnium intuitum ad se convertit,
et in stuporem etiam non intelligentes vertit, propter promptam
et delectabilem expressivam. Oratio autem ejus fuit de praec-
coniis locorum sanctorum, et de laude peregrinationis. Post
rhetoris verba accessit ad locum suum generosus vir, domi-
nus Johannes de Cymbern baro, vir prudens et eloquens, qui
unus servitorum erat, et ex commissione Patris Gardiani in
Theutonico orare incepit, grates referens dominis peregrinis,
quod ad pauperum fratrum mensam accesserunt, rogans, ut de
oblato cibo et potu contenti starent. Et si qui essent, qui
refundere fratribus charitatem vellent, et indigentiae eorum
misereri, possent de ea re loqui cum fratre Johanne de
Prussia, procuratore Conventus, quem in ambitu stantem
reperirent. Nullatenus enim voluit Pater Gardianus, quod
collecta fieret in mensa, nec consensit, ut intimaretur pere-
grinis, quod frater Johannes esset accepturus pecuniam no-
mine fratrum, sed nobiles ex se hoc fecerunt. Finito autem
prandio et bene nobis refectis cum gratiarum actione surrexi-
mus. Porro nobiles ad fratrem Johannem accedentes notabilem
eleemosynam Conventui dederunt, aliqui VI ducatos, aliqui V,
aliqui IIII, aliqui III, aliqui II, et minima eleemosyna fuit
I ducatus.

Visitatio sanctorum locorum montis Syon extra septa monasterii fratrum.

Finitis his, quae dicta sunt, accessimus nos peregrini
ad Patrem Gardianum, rogantes, quatenus dignaretur nobis
adjungere fratres aliquos, qui ducerent nos per reliqua loca

